IN PHILOSOPHIAE PARTEM QUAE DICITUR AESTHETICE PROLEGOMENA

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS THESIM PROPOSUIT

L. DIMIER

UNIVERSITATI GALLICAE AGGREGATUS

Even works of genius, like every other effect, as they must have their cause, likewise must have their rules.

Reynolds.

PARISIIS
APUD ERN. LEROUX
VIA BONAPARTEA
MCM

CLARISSIMO VIRO RAVAISSON

INSTITUTI GALLICI SOCIO

HIC LIBELLUS DEDICATUR

In philosophiae partem quae dicitur aesthetice prolegomena.

Even works of genius, like every other effect, as they must have their cause, likewise must have their rules.

Reynolds.

In sequenti opusculo tres proponentur quaestiones: 1ª an possit dari definitio pulchri in se, 2ª possitne sine huiusmodi definitione aesthetice constitui, 3ª scientiae ita constitutae, ut cum duobus primis responsis concordet, quaenam sit provincia et utilitas cum in ipsa philosophia tum in aliis rebus.

Pulchrum quidem in duobus rerum speciebus invenitur, scilicet in rebus e natura provenientibus et in operibus voluntate hominum et ingenio factis. Quorum operum alia sane non ad excitandum pulchri sensum destinantur, sed vel ad parendum boni legibus, ut actio pulchra, vel ad rationi satisfaciendum, ut pulchra demonstratio, vel ad diversa consilia; alia contra expresse creantur ad sensum pulchri gustandum, et hujusmodi sunt pulchrarum artium exempla, quibus adjungere placet poesim et eloquentiam.

Etsi vero ex hac divisione constet aethetices fines longe ultra poesim et pulchras artes extendi, propterea tamen quod pulchrarum artium opera sunt ex omnibus ad usum habilissima, et ita habentur ut pulchritudo minus in eis deducatur ad controversiam, denique quod expresse destinata ad excitandum pulchri sensum, melius quam alia quaecumque conveniunt operi proposito, in talibus expedit animorum intentionem specialiter provocare.

Pulchrae artes in animo duobus modis excitant pulchri sensum, et quasi duarum effectu virtutum, quas distinguere

operae praetium est, scilicet virtute *inspectionis* et virtute *referentiae.* Simplicis quidem virtus inspectionis ipsi sensationum materiae inhaeret qua constituitur opus artis et cum istis sensationibus varia crescit vel extenuatur, extollitur vel se abjicit, denique fit subtilior. Sic exempli gratia, purpura materiali tantum opere radiorum quos ad oculum mittit, in animum cogitationem injicit divitiae et magnificentiae, caeruleum quietis et tranquillae felicitatis, narcissus triumphalis apparatus, viola melancholiae, murinus color tristitiae, niger vero luctus et moeroris injicit cogitationem. Colores igitur per se habentur laetae aut tristes, humiles aut turbulentae, pacificae aut militantes. Haud aliter dicimus quasdam ambitus lineas esse suaves, magnificas, venustas, sollicitas, exiles, vel severas. Nec minus loquuntur sonitus, cum alii sunt fortes, elati, languentes, assentatorii, molles, austeri, graves, teneri, pii, tristes, desperantes, patientes, tranquilli, audaces, rustici. Quae ad nomen adjuncta vocabula, cum non intelligantur nisi respectu habituum mentis, prosunt tamen ad vocandum quod maxime corporeum est; et hac mentis corporisque unione prima apparet virtus artis quam nomino simplicis inspectionis virtutem, quia satis est, ut sentiatur, sensus ad res adhibere.

Res vero sensibiles alio etiam modo loqui valent. Nam praeter eas quas in se repraesentant species, possunt quoque fieri vehicula et quasi interpretes alicujus materiae aliter ad mentem propositae. Colores enim et lineae prosunt etiam ad repraesentandas species quae, animo perspectae, alios sensus suggerunt quam praedicti, qui tantum e tali ambitus linea vel tali colore oriuntur. Sonitus quoque orationes referunt quarum interpretatio movet animum sine comparatione syllabarum ad harmoniam aptarum vel inter se discordantium. Et talis est illa quam referentiae virtutem supra designavi.

Quae distinctio sane effectuum differentia potest cadere sub sensu atque evidens fieri. Si enim quae, ut exemplum referam, tabula picta coloribus splendidis quoddam cruentum et miserabile repraesentat spectaculum, dum virtute quidem inspectionis laetitiam in mentem spectantis injiciet, tristitiam quoque in eadem mente movere valebit virtute referentiae. Et hac certe non minus inter se diversae sunt quam ab arte

recte scribendi differunt artes quibus scriptum typis mandatur aut verba ad harmoniam deducta ab ipsa modulatione quam comitantur. Ex qua comparatione noster ille Pussinus potuit diversa pingendi genera cum diversis quarumdam artium modis apud Graecos commendatis velut architecturae vel musicae comparare, et reipsa scripsit se velle *peindre un tableau dans le mode phrygien.*

Sunt quaedam pulchrae artes purae inspectionis: quales habentur musica, architectura, ornatio, saltatio, quae sive sonitibus, sive lineis, sive coloribus, sive motibus, non quidem separatis sed potius comparatis et bene compositis non tamen in ordine ad rem repraesentandam, sponte sua sensum pulchri incutiunt animo. In musica enim melodis et harmoniae praecepta, in architectura et ornatione disciplina proportionum, in saltatione numerorum regulae tantum praesunt ordinationi rerum quibus constituuntur harum diversarum artium opera.

Poesis autem et eloquentia artes purae referentiae possunt haberi, quoniam animus nihil in eis reputat nisi res quas referunt vel cogitationes quas excitant. Fateor quidem homines saepe loqui de verborum harmonia, imo communiter animo concipere propriam syllabarum virtutem; sed talem non esse virtutem ex eo apparet quod sententiae aptissimo verborum numero compositae et versus optima modulatione habiti sine vi in auribus manent, quando sententia non capitur animo, ut saepius fit in operibus eo sermone scriptis quem non intelligamus. Itaque qnod carminum vel sermonis harmonia dicitur nihil est aliud quam exquisitissima verborum cum cogitatione convenientia vel consensus orationis cum tenuissimis vocabulorum varietatibus; non est vero aliquid materiale neque quod ex aure pendeat.

Inter has extremas artes locum tenent pictura sculpturaque quarum virtus est referentiae simul et inspectionis: laus enim earum non minus oritur ex qualitate impressionum quas in corpore movent quam e rebus quas in animo fingunt.

Ut igitur haec praedicta verbis paulum diversis resumam, sensus duobus modis mentem alloquitur: uno quasi praesenti et naturali sermone, altero sermone, ut ita dicam, e cogitatione aut institutione nato. Primus quidem aequiperari potest im-

pressioni qua hebetiores sensus nostros, verbi gratia gustum et olfactum extraneae res afficiunt; alter vero proximus est purae cogitationi meroque idearum commercio. Quod commercium modo nihil requirit nisi quemdam cogitationis conatum, nempe cum spectantur imagines statim a nobis intellectae ut similitudo exemplarium natura factorum; modo institutionem postulat praehibitam velut cum cogitationes communicantur articulato sermone, quae quid significet oportet primum ut, data interpretatione, scias.

Ideo quia, simul ac mixtae artes inspectionis et referentiae, sunt etiam artes purae referentiae vel inspectionis, oportet animo concipere virtutem pulchritudinis evocandae non in una vel altera solummodo, nec in duabus mixtis, sed in unaquaque potius insidere. Opus enim aliquod pulchrum est virtute referentiae, pulchrum etiam virtute inspectionis, et pulchrum esse valet virtutibus inspectionis et referentiae simul junctis.

Quaeretur an in artibus mixtis, quae sunt pictura et sculptura, tales virtutes inesse possint, absente altera, nec non sensum afficere? Eadem enim lineamenta quae per se, ut ante diximus, et sine respectu ad rem fictam placere aut displicere valent, res quoque respraesentant quae placeant ipsae aut displiceant. Porro in earum artium operibus, res fictae non secernuntur a lineis quibus proponuntur animo. Qua igitur ratione istae quidem lineae possent esse formosae, res vero quos fingunt deformes, vel e contrario res formosae essent informibus expressae lineis?

Quippe de ultima conjectura nihil habeo quod nunc dicam; sed in prima, quamvis inter se discrepare videatur, ista discrepatione, quae debet haberi simulata, non fit quominus res efficiatur. Quod sane vult per partes explicari. Nempe id venit in discrimen qua causa occulta, res in se molesta possit exemplar fieri quod placeat expressum.

Scilicet primo, ut nihil maneat ambiguum, duos in rebus distinguo placendi et displicendi modos. Alter venit ex re, quae sub conspectu ponitur, tota et ex integro cognita; alter ex eo quod in re visu tantum percipitur. Utpote sint exemplo viscera aperta et quasi anhelanta quae, licet possint oculis subjicere quamdam colorum varietatem non minus floridam

quam florum nitentem fasciculum, conspecta nobis tamen fastidium inferunt, quia tale spectaculum in animo notionem excitat caedis et homicidii, cujus meminisse horret. Cum vero hujusmodi fastidium non respicit ad elementa unde oritur pulchritudo inspectionis, ista elementa in tabulis depicta non minus in se placentem movebunt voluptatem, quam si e florum fasciculo assumerentur. Cumque pictura notiones caedis et homicidii non tam instanter quam res ipsae animo valeat injicere, ex eo quod animus etiam veram imaginem novit quasi ludibrium oculorum, voluptas quam e tali imagine visus recipit, malos delet affectus qui, rebus ipsis praesentibus, talem voluptatem antecessissent. Fateor quidem quosdam homines commercii cum operibus artis parum peritos, periculum adire adeo sentiendi affectum ex his rebus oriundum, ut eas etiam pictas tolerare nequeant; quosdam vero videndis saepe tabulis assuetos, visu per continuam exercitationem facto subtiliore et ad sentiendum seorsum pro seque existimandum trito, pronos esse, coram rebus, horroris sensu praetermisso, ad voluptatem oculorum tantum respiciendam, et idcirco naturam ipsam quasi tabulam esse judicaturos. Quae cum ita sint, neutros opinor quasi normam esse habendos: nam alii nimis rudes sunt, alii nimis experientia rerum exculti; eo quod illi experimento carent operum artis, apud hos consuetudo eadem videndi tendit ad naturam in errorem inducendam.

Nec minus refert, ut opinor, definire quid sit intelligendum cum de materia picturae ant sculpturae loquimur. Quidam enim pulchritudinem quaerunt e casibus humanis quorum hujusmodi opera aliquam forte partem referunt. In tali judicio rationem habent historiae vel fabulae, tituli interdum acuti quem artifex inscribit operi, imo subtilium voluntatum quae trahuntur e longinquo in quibusdam rebus adjunctis. Nulla autem omnium rerum quae cogitationes extraneas vel deductas reposcunt, ratio habenda est in judicio operis quod ex artibus visionis pendet. Non quod non sit in talibus artibus locus rei dramaticae et habitibus quasi loquentibus, dummodo nihil exprimant nisi sensus apertos qui sint intellectu faciles. Scilicet gravitas. candor, tristitia, magnificentia, malignitas, miseratio, desperatio, reverentia, ira, timor et alii similes sensus soli sunt

qui, utpote materia ad mores pertinent, his artibus congruant. Amor vero patriae, maternus amor, religio praesertim non habentur materia conveniens picturae, vel, si quae pictura depingit eventus unde tales sensus appareant, computari non possunt in judicio quod de ea statuitur. Nempe corpora tantum sunt materies artibus visionis et, cum corporibus, quod exprimunt tam recta et communi via ut simul cum his spectari videatur.

Si ergo exemplar nullo modo nisi rationibus praedictis sensum offendeat, nulla sit difficultas ut fateamur imitationem placere posse; quid vero dicendum est, si visionis sensus, perpensus ut talis, in exemplari offenditur? Quo enim pacto colores quibus pingitur, si vulgares aut horridae parent, transcriptae oculos jucunde movebunt? Pariter si deformibus lineis claudicant ambitus, quo pacto marmor aut aes, cum tales patiuntur, pulchritudinis voluptati materiam praebere possunt? Haec inter se pugnantia quomodo vitare possis, nisi forte neges pulchrum esse semper jucundum, vel contendas res tantummodo venustas artibus imitandas concedi? Quidam profecto hocce consilium capientes, finxerunt ab artifice quasdam materies quasi arti adversantes esse sibi praecidendas; at vero usus omnium tali praecepto adversatur, ad hanc accommodatus sententiam:

> Il n'est pas de serpent, pas de monstre odieux
> Qui par l'art imité ne puisse plaire aux yeux.

Re vera Hollandici pictores actiones maxime vulgares et humiles depinxerunt feliciter; Hispani quoque et Neapolitani, transcriptis exemplaribus foedis imo ignominiosis, placere valuerunt; quinetiam sculptores antiqui, effectis Homeri capitibus quae sunt ornamento aliquibus Europae glyptothecis, vultus confecti senectute et caecitate deformis nobis tradiderunt effigies sublimi pulchritudine praeditas.

Insuper, facta exceptione proposita, nulla remaneret artis operibus pulchritudo nisi ea quam ab exemplaribus assumunt, et ideo in tali conjectura, quam praebent voluptatem exemplaria eadem habetur et eodem modo in imitationibus. Verumtamen homines communiter sentiunt operibus artis propriam esse pulchritudinem, quae additur exemplaris speciei, imo

deficientis explet vices. Sin aliter, quis non consentiret opinioni quam sic proponit philosophus: *Quelle vanité que la peinture qui excite l'admiration par la ressemblance de choses dont on n'admire point les originaux*! Quae contradictio cum sit quaestionis nodus, per enodationem quam postulat, tota haec questio illustris et clara jam futura est.

Haec autem enodabis tantum si perpendas quid sit imitatio. Hoc verbum vulgo intelligitur quaedam operis factura unde fiat geminatio rei praepositae et quasi eadem res iterata: quae de cetero nec fit neque fieri potest. Nihil enim tale pote est, ex principio indiscriminabilium, quod jubet duas res omnino similes esse idem et unum, ita ut si qua habetur exemplaris imitatio, cum haec ab illo saltem numero differat, necesse sit eamdem specie quoque distingui. Quod principium hic nempe ratum apparebit notis quae non solum ad artes referentiae et inspectionis mixtas, sed etiam ad purae referentiae artes pertinent, quibus pariter controversia de qua agitur communis est.

Sicut enim picturae et sculpturae ita inveniuntur quaedam pulchra poeseos et eloquentiae opera, quae nihilominus insulsas aut molestas res repraesentant. Attamen cum in tali rerum expressione nullam habeant virtutem sensibus corporeis propriam, non penitus eadem agitur quaestio. Nempe non quaeritur quomodo inspectionis pulchritudo remanere possit in repraesentandis molestis rebus, sed qua ratione serpentis illius aut foedi monstri imitatio per se pulchri sensum movere valeat. Quae controversia cum instantior etiam videtur, haud minus ideo sequentem postulat explanationem.

Omnis imitatio sane constituitur materia quadam cui exemplar suam imponit formam. Scilicet in pictura colorata quaedam plana demensio, in sculptura marmor, aes, argilla aut alia quaedam materia, in eloquentia et poesi verba soluta oratione aut versibus expressa, in dramatico opere personae disserentes et theatri scena prosunt quasi instrumenta et vehiculum rebus repraesentandis. Vulgus autem cum cogitat, ut dixi ante, in operibus artis esse novum exemplar vel iterationem rerum propositarum et quasi eamdem ac res ipsas responsionem, ideo tenet vehiculum istud seu materiam artis esse nullius

momenti. Scilicet materiam putat habilem ad suscipiendam plane immutatam et sine offensa exemplaris formam, adeo ut, considerato tantum sensu quem oportet illudere, verbi gratia visionis sensu, nulla subsistat differentia inter eos affectus qui ab exemplare vel a tabula optime picta oriantur, imo ea fictio, quae apparet oculis absoluta et perfecta, in tali casu possit tactu tantum revelari. Verumtamen ita profecto se res habet ut forma de qua quaestio est, non sinat se a materia qua sustinetur abstrahi distinctam. Haec enim materia cum sit tali modo in exemplaribus, tum alio modo est in operibus artis, nec nobis putandum est unam eamdemque formam posse ab aliis in alios traduci. Etenim argumento est quod forma est particeps materiae unde locutione tantum discernitur, quamobrem philosophi desierunt qualitates reputare separatas a substantia in qua insunt, et aliunde constat nihil esse in rebus quod non aliquid ex se mittat ad sensus. Itaque plura sentimus quam sentire sumus conscii, et ex eo quod tabula vel cera picta ita imitabitur naturam ut pro re ipsa ducatur, non sequitur inde nullam esse discrepantiam, quae etiam in perceptione nostra naturam ab imitationibus secernat; quod fit tali modo, ut si accuratius adverteres animum, conscius forte ludibrium oculorum dissolveres. Quippe cum imitatio non fiat ex eadem materia ac res imitata, necessario a re ipsa differens manet, et cum in se differt tum in perceptione quam habemus formae.

Nempe conspicies quantum valeat haec distinctio, quae non omnino ex ipso venit quod scriptor aut artifex rem fictam non transfigurare nequeat, et proprium quid ex se misceat rebus natura traditis, *addens*, ut dictum est, *hominem naturae.* Haec enim ratio ad psychologiam pertinet, illa vero de qua disserimus ad ordinem metaphysicum. Neque hic quaeritur ad quid artifex suo ingenio quasi necessarie pronus sit, sed quid ei faciendum permittat necessitas in ipsis rebus immanens. Num quidem imitator adornet naturam praesens oratio nostra non curat, imitatio vero an eam immutet quaerit.

Quod attinet ad eloquentiam et poesim id satis constat, cum res repraesentatae non sint idem ac verba quibus tantum artes istae res fingere possunt. Quod quidem de eis dicitur,

scilicet his artibus res pingi et proponi ante oculos, imo legentem vel audientem putare se in iis locis esse de quibus fit mentio et gestis quae narrantur interesse, id nihil est nisi figurae dicendi, quas nunquam accipimus ad litteram, cum verba quibus res finguntur non agant ritu spectaculi, sed tantum per evocationem, quippe quae in usu communi cum imagine rerum connectantur. Quamobrem non auxilio verborum vehitur hujusmodi repraesentatio, sed vehiculum non est aliud ac mens ipsa lectoris et memoria quae plus minusve prompta, plus minusve per acrem et delicatam litterarum consuetudinem, instituitur educatione convenienti ad respondendum verbis evocantibus. Quidquid autem expectari potest ex tali fictione recordationibus disjunctis ita confecta ut abitrio poetae vel oratoris ex eis imagines fiant, semper debet a rebus ipsis multum discrepare. Licet enim maxima subtilitas esset operis in intimam rerum tenuitatem descendentis vel nitentis fingere res ipsas quales viderunt oculi legentium, attamen cogitatio tantum differt a sensibus, in rebus affingendis, ut discrepantia inter eas res ipsas et rerum imagines debeat esse summa. Quid igitur fiet in communi horum artium usu, quando res pinguntur quas lector non vidit unquam, imo saepius quae nusquam sunt nisi in phantasia auctoris, quarumque descriptio jure componitur communibus tantum lineis, hic et inde quibusdam penicilli, ut ita dicam, exquisitis ictibus decorata, quae non firmam constituunt fabulam, sed incertam, ubi cogitatio longius evagari possit.

Itaque poesis et eloquentia, quamvis suo ritu res imitentur, non tamen vocantur artes imitationis. Hoc enim verbo communis dicendi usus significat verius repraesentandi instrumentum quod sensum moveat eumdem quo res ipsae percipiuntur. Enimvero opera picta vel sculpta visum cient, et, cum res visas effingant, eamdem movent in nobis sentiendi facultatem quae exemplaribus ipsis exercetur. Materia tamen ex qua finguntur illa opera, nihilominus facit omnino dissimilia rerum quas conantur imitari.

Quippe id exprimere sibi proponit pictura, scilicet rerum solidarum species, quales in lumine appareant. Quamobrem utitur plana superficie diversis coloribus picta, in qua pingenda

manus artificis duas tantum habet in promptu demensiones, non tres quas res prae se ferunt. Negatur quidem nostro visionis sensu tres istas demensiones percipi: quod sane error est satis confutatus principio jam praedicto, scilicet nihil esse in rebus de quo sensus noster nullo pacto moneatur. Quoniam vero error iste vulgo praevalet, oportet patefacere quasdam inprimis causas cur non sit nobis admittendus.

Primo quidem, si res oculis percipiuntur in aequali planitie pictae et, ut aiunt, in plano, quo spatii loco demensio haec plana ponitur? Quidam profecto eam ponunt juxta ipsum oculi globum, sed, praeterquam quod tabula sic posita ne videri quidem posset, qui de perspectu rerum disseruerunt magistri, funditus adspectum rerum in disciplina sua cum plana demensione confundentes, infitiantur eam sic esse sitam; et ideo hi auctores, interjecto quodam intervallo, ponunt visionis superficiem quam vocant *naturalem*. Si autem aliquanto spatio distat, quaenam est distantia? Iidem sane auctores instabilem eam reputantes, conjectura sic finiunt locum quo graphidum ita deductarum aptior unaquaeque esse videatur. At satis liquet talis planae superficiei si nonnusquam existat, eam esse legem ut sit in loco definito, cum vocetur naturalis nec quidquam sit naturale nisi certos fines habeat.

Quod si vero fingere velis hunc locum quidem vere esse definitum, sed leges definitionis, cum ex oculi motibus et portionis illius cui *cristallinum* nomen mutationibus illa pendeat, propter defectum scientiae conjectura contineri, jam ab auctoribus qui de prospectu disserunt oportebit quaerere an unquam decernere velint talem locum vere aliquo intervallo removendum esse ab oculis, et idcirco e visionis excludere in animo habeant res quae citra hanc planam demensionem versantes, nihilominus oculis (et quis ibit infitias?) percipiantur. Etenim ea lex est prospiciendi ut res illae tantum ultra hanc demensionem sitae in ea tabula spectantur. Quidquid igitur videt oculus ut omne credas in ea pingi, nunquam satis hanc demensionem ad oculum admovebis, donec juxta ipsum ponas, ubi manifesto non esse potest.

Insuper si perpendas animo quasdam hujus scientiae conclusiones, videbis illas sepius experientiae hominum adversari,

ex quo perspicuum est hujus principium non esse veritati consentaneum. Multa quidem praetermitto exempla in quibus res deformantur, ut unum hoc retineam quod ad sphaeram respicit, Agitur de sphaera secundum regulam prospiciendi delineata. quando visionis axis (id est linea ad perpendiculum ex oculo recta in objectam demensionem planam) non per medium transit. In quo casu haec scientia statuit sphaeram in plana non posse repraesentari nisi per figuram quae vocatur ellipsis, quia fasce radiorum quos ad oculum mittit efficitur conversionis conus, qui propterea quod ex obliquo secat planam demensionem, in ea describit ellipsim. Porro minime dubium est ellipsim sic in tabula descriptam, etiam si fingis eam ab axi visionis remotissimam, nunquam fore ut sphaeram repraesentet. Quare Veronensis, cum in suis Canae Nuptiis extremis tabulae partibus duos orbes marmoreos descripsit ut infimos scalarum cancellos ornaret, ille pictor non commisit ut eos orbes per ellipses figuraret, nec ullum est (ut opinor) exemplum secus utendi.

Alioquin quomodo contendas planam demensionem natura in locum rerum videndo substitui, cum haec plana demensio sit ipsa res quae, secundum prospiciendi regulum, non possit videri, sicut ceteri, nisi in prospectu. Enimvero radii sunt inaequales qui ad oculum e plana demensione feruntur. Si igitur talem demensionem prospiceremus, id ex eo veniret quod visu perciperemus quasdam distantiae varietates, et ideo quae fingendo planam hanc demensionem vitare intenderes, hac ipsa fictione requiruntur.

Adde quod profunditatis (eam dico spatii demensionem qua plana tabula caret) notio visioni inconcessa, sane debet alio sensu percipi qui visus expleat vices, quam tactu volunt comparari. At si finxeris ita natura comparatum esse ut tactus quidem sensibilia tribus demensionibus, visus vero duobus tantum praedita praebeat, quo tamen pacto probes his sensibilibus eamdem rem in animo repraesentari et unam ex eis perceptionem fieri? Nempe quaestio illa quae Molinosa dicitur, manet, in tali conjectura, omnino inexplicabilis. Quod enim rem difinit duobus demensionibus praeditam, ambitus est, scilicet linea ultra quam res jam non percipitur. Contra non est

talis in tangendo finis, et tactu res quoquoversus perlustrari possunt nusquam ulla fine interposita.

Oportet igitur huic assentiri sententiae, scilicet directo quodam modo profunditatem nostris oculis percipi; et haec est differentia quae opera picturae proprie discernit a vero rerum spectaculo.

Sunt etiam aliae differentiae sculpturae simul ac picturae communes, quae sic habentur. Primo quidem forma alicujus rei naturalis ex multis partibus componitur in infinitum diversis. Ambitus enim, verbi gratia, nunquam in elementa simplicia ac geometriae accommodata resolvitur, quantumvis in partes subtiliter eum dispicias; nec numerus ascribitur ullus portiunculis albi nigrique coloris, quo simulantur in tabula lumen et umbrae, ut quaeque earum accurate quoad quantitatem et qualitatem definiatur. Quippe nec Michael Angelus anatomiam perscrutando invenit unquam prima fibrarum elementa quae perfecta imitatione simulata, copiam fecissent totius corporis sine mendo exprimendi, neque Leonardus a Vincio celare voluit quosdam, invito pictore, manere luminis et umbrae concursus, qui tales sint ut *i loro termini non puoi conoscere, anzi con confuso giudizio le pigli e trasferissi nella tua opera.*

Sane non ad id perfectionis potest attingere pictoris aut sculptoris facultas. Uterque enim artifex, cum penicilli aut coeli numeratis ictibus debeant rerum naturalium speciem reddere, innumera et vere infinita vincuntur earum compositione. Scilicet illos fugit rerum continuitas quam perinde ut profunditatem pictor, sculptor pictorve, nisi nos ludendo falsis imaginibus, unquam exprimere nequibunt.

Secundo autem loco, visus in rebus non tantum formam et colorem percipit, ut vulgo creditur, sed etiam corporum substantiam. Hanc vero substantiam videri et sub oculos cadere ne infitieris, atque id cum in facultate videndi comprehendatur, tamen in solis coloribus percipiendis non habere sufficientem causam. Marmor enim aut aes pictum, imo etiam cera, quocumque ornetur colore, nunquam carnem effinget. Similiter pulvere colorato qui olei opera extenditur in tabula, cum non sit ex eadem materia ac res quas simulat, non sperari potest ut earum vera repraesentetur species. Nempe qualis

sit materia, ut antea dixi, imputatur in affectu quo visum ipsum movet. Quamobrem peritus scriptor retulit cujusdam famosae meretricis*) quae primum pannos suae exedrae propositos ponderabat, quippe quae ex eorum pondere reputaret qualiter essent oculos videntium commoturi.

Sic ergo constat necessarium discrimen inter res arte imitatas et imitationem qua simulantur. Videlicet quaerebatur qua ratione fiat ut exemplaris injucundi imitatio possit evadere jucunda. Quae sane differentia evidenter pendet ex differentia naturali, et ideo, ut discamus qua secreta ratione artes naturam exornent, satis est vera definitione concipere qnae mutatio fiat in rerum expressarum figura per vehiculum seu materiam qua in hunc finem ars utitur.

Id primo fatendum est res omnes in se et in sua vera essentia esse pulchras. Non inde consequitur illas nobis uno et eodem modo tales apparere; sed quid miremur hanc pulchritudinem nos effugere, si verum est, quod non in dubium vocatur, rerum essentiam non a nobis percipi. Qua vero ratione id nos praetereat nunc aliqua mentio nobis habenda est. Res quidem sunt in singulari, quod involvit infinitum. Quid sibi vult ista sententia? Scilicet dum genus et species se definiri sinunt, e contra individuum non potest adeo exprimi ut nihil ex eo fugiat. Nulla est individui descriptio quae penitus perficiatur; nam animi nostri intentio cum finita sit, ad exitum hujus operis pervenire non potest. Porro opus esset infinitum quod essemus peracturi ut in se cognosceremus pulchritudinem essentiae rerum inhaerentem, quia essent funditus cognoscenda. Unde consequitur nos non eos esse qui pulchritudinem rerum essentialem experiamur.

Verumtamen cum pulchritudinis sensum saepius nobis percipere contingat, probandum est nobis esse artem aliquam qua inopem expleamus animi facultatem. Sane constat nos in rebus naturalibus praesentem pulchritudinem sentire. Quaedam enim naturae spectacula omnibus oculis sunt pulchra, et quanquam de his magis inter homines dissentitur quam de operibus artis, ita pro certo habendum est res natura traditas non

*) Goncourt de Païva.

esse plerumque alienas a pulchritudine et quasdam ex eis praebere causas cur pulchrae inveniantur. Insuper, et id memoria retinendum est, ex facto constat quosdam oculos in rebus maxime communibus, quinetiam ubi plerique homines quid nefandum putant, invenire mirandi imo magnopere laudandi locum. Revera pictores qui se dederunt ad imitandas res vulgares et horrendas, in aspiciendis talibus exemplaribus, sine dubio fruebantur voluptate; nullaque materia cogitationi objici possit tam humilis et parvi momenti, aut etiam deformis et sordida, quam non aliquis accurate pinxerit ex animo et cum indulgentia manifeste praecipua. Perinde scriptores Shakespearius et Molierius in exemplaribus quae Musae suppeditaverunt personas Bottom et Pourceaugnae, aliquam certe pulchritudinis speciem praegustaverunt.

Oportet igitur talem pulchritudinem e certo ordine pendere quem discernunt tantum periti, quique quadam confusione ex infinitis rerum partibus orta ita operitur ante vulgi oculos, ut appareant intolerabiles et odiosae. Licet enim nemo oculis nec animi adversione possit ullius rei totum complecti, et omnis notio quam habemus, etiamsi nitamur ad completam veri perspicientiam, maneat semper a rebus diversa, attamen credendum est alios aliis propiores esse veri et magis in rebus percipiendis ordinem natura comparatum consequi. Qua ratione nonnihil essentialis rerum pulchritudinis assequuntur, vel melius, si quidem eam diximus imperviam, quasi vicariam illius imaginem sibi fingunt. Haec imago ubique ad effectum se offert adducenda, cum illa essentialis pulchritudo nusquam desit. Quoniam vero ordinem ex quo pendet ista imago in percipiendis quibusdam rebus plures homines facilius quam in aliis servant, accidit ut pulchritudinis nomen non cuicumque rei indifferenter tribuatur apud vulgus et in sermonis consuetudine.

Hunc autem ordinem naturae conformem et quasi sponte sua in affectibus e quibusdam rebus ortis insitum, ut omnes homines eas existiment pulchras, hunc ipsum, artis virtute propria, invehi in fictiones artis nobis credere licet; imo talem ordinem restitui et retineri per mutationes quae, ut diximus, lege materiae cuique arti propriae imponuntur imitationi.

Secundum haec, quicumque pulchritudinem alicujus rei

naturalis percipit, in animo suo proprios artis effectus operatur, scilicet, velut artifex pro omnibus, ita ille pro se nihil aliud facit quam disponere rerum sensarum imagines natura concitatas in ordinem ad pulchri perceptionem. Revera utrumque opus idem atque unum esse adeo perspicuum est, ut illi quibus artes suae revelaverunt mysteria, id est qui hunc ordinem de quo agitur lineis exterioribus et quasi tractabilibus operis cujus omnes experientur virtutem, constituere callent, iidem sint qui saepissime in rerum natura admirari videntur quod vulgus despicit aut horret. Illi sane sunt qui videndi periti, propterea in omnibus pulchrum discernunt.

Sic ergo constitutum est hunc ordinem quo res quaecumque nitescit, nihil aliud esse nisi consequentiam quarundam mutationum quibus transfigurantur res naturales simul ac imitatione exprimuntur. Illae vero mutationes non nobis apparuerunt (quod iterum dicere non est nimium) quasi ex artificis voluntate et consilio ortae, sed ex ineluctabili necessitate quae illi praescribitur vehiculo seu materia ad res imitandas necessaria. Adeo non in data sic interpretatione consideranda est talis consilii voluntas, ut e contra voluntas et consilium vertantur ad imitandum exemplar quam fidelissime, omnesque meditantis artificis conatus, dato consilio, tendant non ad distinguendam transcriptionem ab exemplare, sed ad utrumque assimilandum.

Quod si vero fingas multos alio more egisse, et dato consilio aliquid addidisse naturae vel ex ea detraxisse, non hac de re nunc disseram; nam satis est mihi id retinere, scilicet multos, omnium consensu, nihil aliud quaesivisse nisi ut artis opera cum natura rerum quam verissime assimilarent. Cum autem eorum opera, licet sint istae res vulgares, imo etiam per se molestae, nihilominus pulchra videantur, hoc exemplum sufficit ad meum praesens propositum; quoniam satis evidens est hanc pulchritudinem, e quodam, ut nuper diximus, ordine restituto in perceptione naturali pendentem, non posse aliunde oriri quam e mutationibus per artis vehiculum adductis.

Qua igitur ex causa dici potest hunc ordinem de quo agitur talibus effici mutationibus? Ex eo quod omnes materiae seu omnia vehicula quibus artes utuntur, id naturaliter efficiunt ut id quod apud philosophos recentiores ἑτερογενές dicitur, in ὁμογενές reducatur.

Etenim natura est heterogenes perfectum, scilicet res ab ea comparatae non possunt ita dissolvi ut in fine perveniatur ad elementa simplicia et sui similia. Quippe in re composita ex partibus partes ipsae sunt compositae, et harum partium partes eodem modo usque in infinitum. E contrario materia qua construuntur opera artis, est homogenes, aut saltem ut talis adhibetur, et ita fit ut natura arsque procedant in contrarium alia in aliam adversantes. Nempe totum rei naturalis non est, nisi quia existunt omnes ejus partes etiam minimae; dum ex adverso in imagine quam format artifex, non exquiruntur singulae partes nisi per singulos laboris gradus quoties id labor progrediendo assequitur. Quare quod primum apparet necessario fit totum, habita ratione partium numero carentium quas ferunt res ipsae in infinitum dividuae. Unde satis constat, si formae cujusdam imitatio non esset caelo aut penicillo perficienda nisi omnibus expressis partibus quibus haec forma componatur, haec instrumenta nunquam esse ad id perventura. Nec habendum est hocce argumentum quasi iteratum sophisma Eleaticum. Non enim infitias imus quin ambitus confici valeat qualiscumque, at solum si nitatur ad exemplum perfecte et adaequate imitandum. Sufficit quidem ad ducendam lineam etiam infinito punctorum numero compositam motu proprio impulsa manus. Sed ut infinitum lineae accurate exprimat infinitum propositi exemplaris, habendus esset homo idoneus ad animum infinite intendendum, quod non ita fit. Fateor equidem artificem nonnihil tale consequi emendationibus operis et retractationibus singulis, sic ut ex toto ad partes progrediatur, ex unitate ad varietatem. Quippe in natura varietas est fundamentum, cui injicitur, quasi simulatio praecipuae varietati addita, quod in ea par et idem esse videtur. Contra ex pari et simili constituuntur opera artis, per accomodatas tantum mixturas diversificata. *Nature diversifie et imite, artifice imite et diversifie.*

In hac sibi adscita et ideo semper incompleta diversitate consistit illa investigatio qua nititur ars assequi naturam. Non vero in animum nobis inducendum est artem nihil majus appetere, et satis habere si quemdam gradum et mediocrem imitationem veritatis attingat. Quippe naturam habet pro exem-

plare, et, si perspectum est artem nunquam ad id pervenire, constat tamen eamdem multis artificiis callide ordinatis ita decipere homines ut id eam assecutam credant. Nempe scopus artis et virtus propria est res inter se pugnantes conciliare, id est homogenes quo utitur auxilio, cum heterogeni quod sibi proponit exemplar. Itaque tota est in hac rerum congruentia artis definitio quae sicut dixi habetur: heterogenus in homogenes reductio.

Cujus effati scilicet usus nunc explorandus est.

Plane pictura in eo est ut auxilio planae demensionis imitetur res solidas et tribus demensionibus praeditas. Haec sibi adversantia comparare secum satis est ut concipiamus quid aequalitatis et similitudinis ab exemplare absens in ejus imitationem se immittat. Imitatio enim per lineam planam formae in profundum fugientis eam quam diximus reductionem operatur, cum ejusmodi operatio non aliter efficiatur quam abstrahendo quoddam dissimilitudinum genus, scilicet illas quae de tertia spatii demensione pendeant. Quod si quis contra forsitan dicat non omnes pictores quaesivisse illud mendacii genus quo fugiant formae et in profundum vertantur, fatebor quosdam ex eis, propriam suae artis vim neglexisse, quippe qui non alia noverint, nec ideo adhibuerint artificia nisi quae sint sculpturae communia. Etenim in operibus a Raphaele necnon a Michaele Angelo pictis, non est ulla quidem virtus quam non possint pariter prae se ferre opera exculpta vel signa. Corregius vero aut Hollandici pictores parum habent talium vitutum, quorum ars non effectum nisi pingendo praestare possit. Eo sane tempore quo duae artes proedictae genere studiorum fere non discernebantur, Leonardus scribens de arte prospiciendi, dicebat illam esse *la brigia e timone della pittura*. Nempe sic arti pingendi proprium quemdam et quasi infinitum aperiebat campum, in quem nec veteres neque recentiores intraverunt ante Corregium, quem Leonardus quodammodo ut vates praenuntiavit. Sunt ergo certa picturae opera de quibus decet intelligere non eam argnmentationis partem quae proprie ad picturam pertineat, sed illam quae conveniat picturae simul et sculpturae.

Quod attinet ad formas caelo effingendas aut ad colores penicillo exprimendos, illud satis est memorare quod de prae-

scripto universali dictum est, scilicet in imitatione lineam ex homogeni ad heterogenes transire, naturam vero ex heterogeni proficisci. Color enim in pinnam effusus a pictore est aliquid sibi par in omnibus suis partibus, variique colores, inter se miscendi sunt ut efficiatur in tabula aliquid varietati naturae proximum. Sed quantacumque arte misceantur colores ea tantum mixtura fit elementorum per se homogenôn, in rebus vero quae inter loca adjacentia similitudo coloris apparet, non est aliud nisi fallax et crassa species unitatis in varietate usque in infinitum vere diversa.

Nec dissimulare in animo est colorem a pictore adhibitum, cum sit ipse sicut cetera res naturalis, esse heterogene quoque. At heterogenes est quoddam cujus non habeat rationem artifex quodque nullo modo ei prodest ut regula ad colorem adhibendum. Nempe illi venit aliunde ratio pingendi, ad quam sine ullo delectu, partibus e se diversis sui coloribus utitur. Haec enim materiae diversitas non habetur ut apparens, nec magis proficit ad exprimendos rerum diversos colores quam summae tabulae asperitates ad ea proficiunt effingenda quae in rebus eminentia videntur. Quippe quod a natura vehiculum heterogenes habet cum heterogeni propositi congruere non potest nisi forte quadam, perinde ac Protogeni contigit, qui, cum canis spumam depingere nequicquam tentaret, inopia consilii potioris, dimisso in tabulam penicillo coloribus imbuto, invenit penicilli vestigii pulcherrime simulari quod in mente habebat. Haud secus sculptor gemmarum aliquando in achate vel cerachate chalcedonica eam reperit venam quae varietate et pelluciditate naturali perite in hunc usum servata, sanguinem imitatura sit effusum in corpore herois cujus exprimat effigiem.

Nunc autem omissis imitationis artibus, si venimus ad poesim et eloquentiam, eamdem quoque de qua dictum est reductionem animadvertemus in cogitatione, quam supra diximus esse materiam et quasi vehiculum hujusmodi repraesentationis. Nostra enim recordatio non est fidelis imago rerum, cum non alia servet vestigia nisi quae sunt sibi credita per animi adversionem; quae modo est abstrahendi artifex. Porro nihil rerum abstrahimus nisi coacti inluctabili necessitate modum faciendi inter infinitas naturae partes, quarum totum ne-

mo memoria retinere posset. Non enim perficitur, ut jam diximus, singularis rei descriptio; qua in re si tamen nobis facile satis fiat, id ex eo fit quod paucas tantum servamus lineas opportune per sermonem praefinitas. Itaque quod nobis refert vis imaginativa rebus ipsis adversatur velut finitum infinito, non continuum continuo, homogenes heterogeni.

In arte quidem scenica, fateor similitudinem repraesentationis cum exemplari proposito videri perfectum. Id fit ex eo quod hujusmodi opera non res imitantur sed verba. Quare si verba habentur, quod aequum sane est, ut rerum expressio, talis ars nobis proponit expressionis expressionem. Adde quod verbis ludi scenici imitantur imitationem quae ipsa tota in verbis est, unde fit ut primo adspectu non videatur illa naturalis repugnantia quam supra diximus, inter exemplar et vehiculum repraesentationem.

At id fallaci specie tantum apparet. Quod enim fabulae scenicae auctor sibi proponit imitandum, minus est verba quam affectus aut personarum indoles quae in vera qualis est vita, eo se ostendunt modo quo homines his affectibus vel hac indole praediti res referunt. Si ergo res ex hoc adspectu quem notavi conspicere pergamus, non imitationem ipsam sed potius imitatorem nobis repraesentat auctor fabulae; et sermones quos in ore personarum ponit, in fabula sic apparent ut tabulae parietibus alicujus coenaculi suspensae videntur in tabula cujus pictor universum prospiciendi modum accommodavisset. Quod si vero quis objiciat ordinem diverbii recitationisque e natura sumptum esse et quasi traductum, ita ut habeamus non tabulas quidem sicut modo dictum est accommodatas, sed tabulam unam e tabula expressam; ille sane immemor est quo modo se res habeant, cum natura rerum praebeat quidem sermones, non vero drama, id est ordinatam sermonum seriem quae tendat haud secus ac fabula, ad aliquam spectaculi unitatem. De qua unitate ne subtilius disseramus, id tantum retineamus scilicet affectus indolesve, cum proponuntur, intelligentia esse percipienda, quod non fieri potest sine ulla ordinis compositione, cujus vices in rerum veritate aliae rationes agendi supplent. Itaque scenica fabula quae rerum eventus repraesentat alternis personarum sermonibus, juvante quidem materiali lo-

corum imitatione, non minus quam narratio in se differt a rebus ipsis.

Auctor dramaticus pictoris instar, in fabula nititur sententiis ex ordine positis et arte in sermone continuatis ad exprimendum exemplar in quo minimae sermonis, vocis aut gestus varietates sponte et facile significant animi motus et totum propositi ordinem. Nempe ex dissolutis fragmentis iterum componit quae natura acervatim conflavit; nec solus quidem id efficit, cum huic incepto ex omnibus forte dificillimo et arti, ut propius naturam imitetur, subjectissimo, opus sit auxilio actoris, pictoris scenarii et machinatoris, aut saltem, si tantum legatur fabula, legentis cogitatione, quae machinatoris, pictoris simul et actoris fungatur officio.

Quae quidem, si mentem referas ad nostrum principium, et ad primum discrimen pulchritudinis quod in arte fecimus, omnia nos subigunt fateri hoc discrimen non fuisse perfectum. Enimvero praeter inspectionis et referentiae pulchritudinem, tertium pulchritudinis genus introducendum est, scilicet, illa pulchritudo quae oritur e forma exemplaris per materiam qua ars utitur transformata. Quae quidem pulchritudo proprie consistit in eo quod recentiores gallice *rendu* (id est expressum seu redditum) vocant, quam ego vocabo imitationis pulchritudinem.

Nunc autem oportet explicare quibus congruentiis tertium id pulchritudinis genus cum duobus praedictis concinat.

Supra quaesieramus an inspectionis pulchritudo posset absente referentiae pulchritudine consistere. Et omissa responsione directa id tantum constitutum est scilicet imagini exemplaris etiam foedi arte effictae eam inesse vim ut jucunda videatur; quod fit propria virtute imitationis, cujus pulchritudo nunc in summa nobis nota est. Haec quidem imitationis pulchritudo proprie efficit ut res, quamvis sint natura molestae et deformes, jucundae appareant ut semel arte repraesentatae; quare ex ea consequitur quaedam referentiae pulchritudo. Ex alia vero parte, cum istae res imitatae non differant a lineis quae prosunt ad eas depingendas, contingit in lineis propriam inesse quae per se probatur venustatem. Tali autem venustate constituitur, ut antea diximus, inspectionis pulchritudo. Itaque finge videre talem tabulam, quales fecerunt Lugdunenses,

Delftenses aut Harlemiti pictores, quae nullam prae se ferat laudem praeter imitationem naturae perfectam; ex illa imitationis pulchritudine profecto consequetur ut uno eodemque tempore in ea invenias inspectionis simul et una referentiae pulchritudinem. Utraque vicissim perfrueris prout in tabula perpendes ipsam tabulam aut res in ea repraesentatas. Inspecta enim imitatione lactis, verbi gratia, ex vase fluentis in manibus mulieris illius lactariae a Vermerio depictae, vicissim miramur coloris ipsissimam materiam et quod ad rem repraesentatam maxime pertinet, scilicet lactis crassitudinem pinguis et spumosum candorem, quo gustus ipse in palato excitatur. Quippe simul ac album illud diffusum in tabula partes suas sustinet in concentu colorum, unde oritur pulchritudo quam dico inspectionis, ita fit ut ante oculos proponat rei jucundae speciem, quam vocavi referentiae pulchritudinem. Licet autem in utroque casu res quam miramur sit prorsus diversa, materia tamen ex qua pendet admiratio una certe est et eadem. Referentia enim propterea tantum jucunda est, quod perfecta fit imitatio, et simul pulchritudo quae coloris qualitate simplici revelatur inspectioni, non aliunde oritur quam ex imitatione perfecta.

Ergo venustas imitationis duas in se una continet venustates, in qua simul gustamus inspectionis et referentiae pulchritudines. Nam duas habemus simul in animo distinctas rationes: alteram operis ipsius, alteram rerum quas exprimit; quae duo miscentur in unam mentis perceptionem. In ea autem confusione consistit artis ludibrium et propria virtus quam sibi tantum proposuerunt ut solum necessarium, pictores de quibus agitur. Itaque non posses dicere majores illis fuisse pictores, quanquam inter pictores nonnulli tamen fuerunt qui illos gloria superavere.

Licet enim habeantur inspectionis et referentiae pulchritudines quae in imitatione constent, insuper locus est addendi quamdam referentiae aut inspectionis pulchritudinem ab illis praedictis disjunctam. Quod attinet ad primam, quis dubitet exemplaria de se et nullo imitationis auxilio jucunda operi suppeditare ex abundanti pulchritudinem distinctam? Augusti enim, exempli gratia, apud Cornelium, et apud Racinum Neronis personae communem sibi habent referentiae pulchritu-

dinem quae pendet ex imitatione; intelligo scilicet Neronis ingenium, quamvis odiosum, fieri in versibus quibus pingitur, rem animo quidem jucundam; in Augusti autem ingenio, propter pulchros affectus expressos, additur propria pulchritudo, quae non ex imitatione pendet sed contra ei adjicitur.

Idem quoque contingit inspectionis pulchritudinis, quae, si tantum agatur de visionis artibus, cum in his ornamentum sit ars praecipua purae inspectionis, tum vocari poterit pulchritudo ornamenti. Enimvero, juxta quod modo diximus, non est harum artium imitatio perfecta quae non prae se ferat aliquam ornamenti pulchritudinem. Sed haec propria pulchritudo discernenda est ab illa quae ei adjicitur expresso artificis consilio ab imitandi cura distincto. Quod ad colorum claritatem, verbi gratia, attinet, est quaedam pulchritudo quae non aliunde venit quam ex accurata imitatione, qualis est apud Corregium, Rembrandum, Rubenium aut Velasquium, est quoque alia quae contra pendet ex propria investigatione venustorum colorum, qualis versatur apud Venetenses, Anglos, Vandeicum, Vastellum et inter Hollandenses Stenium. Nec aliter quidem apud Olbenium ars delineandi nullam inspectionis pulchritudinem praebet nisi eam quae ex diligentia in imitandis rebus oriatur; apud Raphaelem vero invenies quamdam linearum in se pulchrarum investigationem. Ex qua diversitate totum fit discrimen inter pictores qui *peintres de style* et eos qui *peintres de caractère* dicuntur. Primi enim, praeter imitandi scientiam, distinctam habent et per se stantem scientiam ornamenti. Itaque videre est omnes hoc genus ornandi feliciter coluisse, et plerosque hujusmodi pictores fuisse simul et architectos.

Sed ex his modo dictis sequitur hanc virtutem ornamentariam distinctam haud secus agere nec in se aliam esse natura quam ea virtus quae in pulchritudine imitationis cum referentiae pulchritudine, ut ante notavi, confunditur. Nam ex eo quod duobus tantum demensionibus tabula tam fideliter quam maxime tres spatii demensiones imitatur, constat hanc tabulam sibi suscipere usum et virtutem ornamenti. Ergo, ut id generatim habemus, illa qualitas aut virtus inspectionis non aliter fit quam reducendo quod natura praebet heterogenes in homogenes ad materias aut vehicula pertinens quibus artis

opera constituuntur. Ut vero explicemus qua ratione casus fiant ubi talis virtus abstrahatur et secedat ab omni referentiae virtute, satis erit animo fingere vehicula adeo formae in exemplari propositae contraria, ut illa de qua agitur reductio nullam fere jam possit exemplaris servare memoriam.

Sic consideratae artes quas vocavi purae inspectionis non jam aliter figurant quam quoddam mixtarum artium genus, quarum vehicula rebellia cum exemplaribus omnino repugnant. Fingi enim poterit architecturam, verbi gratia, sibi quidem proponere formas naturales imitandas per materias et partes ad componendam aedificium necessarias; immensum vero intervallum quod appareat inter architecturae et rerum naturalium formas non aliunde effici nisi ex eo quod tam implicatum architecturae instrumentum summa vi renitatur ad earum imitationem.

Cur autem talis instrumenti sic fiat renisus, ea causa est quod non sicut cetera, id instrumentum satis habet esse vehiculum qualecumque natura comparatum, sed quod in eo miscentur quaedam ad libitum rationes et postulata quaedam, aliena ab illo quo tendit ars proposita. Nempe aedificium id esse debet quod hospitium hominibus praebeat, et simul pulchritudinis sensum excitet. Haud secus saltationis vehiculum non tantum corporis habitu constat, quippe quae saltatio non fiat solum desiderio varios animi motus imitandi, sed etiam quia paretur affectui numerorum quibus indulgetur. Saltationis igitur vehiculum aut materia non est proprie motus, sed motus in numerum, ita de ceteris.

Si quis hanc interpretationem in dubio poneret, illi esset animadvertendum omnium artium purae inspectionis fere nulla esse opera nisi opera ad alium usum quam artem destinata, adeo ut potius vitam ornent et communia gesta comitentur quam pro fine in se habeantur. Quae quidem artes praesertim ut instrumenta utilitatis habentur, imo etiam voluptatis quae ad aliud quam ad ipsas spectat. Aedificatur enim, decoratur, saltatur, comparantur musici alio consilio quam artis amore. Non vero leguntur poemata, tabula perspicitur, itur ad comoediam, eloquentia appetitur nisi eo proposito ut moveatur sensus pulchritudinis. Ea sane causa fuit cur omni tempore affectaverunt amatores ponere signa aut pictas tabulas in xystis

aut pinacothecis quae petuntur consilio sicut itur ad libros in bibliotheca positos. E contra in saeculo Ludovici decimi quarti, musica fere non audiebatur nisi in conviviis, et ad nudas parietes vestiendas, sic dictum *grottescum* ornamenti genus inventum est.

Etenim quis dubitat quin supersint in artibus alienissimis ab illa quam voco referentiam, quaedam formarum naturalium vestigia, quae jam modo praelecta confirment? Nempe flores, cochleae, licia, animalia, forma vultusque humani corporis primam injecerunt cogitationem ornamentorum quibus aluntur artificum figmenta. Item vocis flexiones et sermonis quaedam naturalis musica omnis modulati operis summam maxime continent. Quod praesertim apparet in eo quod *recitativum* dicitur, quo fere totum Vagnerii necnon Lullii opus componitur. Haec animadversio tam vera est ut, quemadmodum diversae nationes non iisdem utuntur vocis flexibus ad eadem proposita in sermone exprimenda, sic aures majorum nostrorum in hoc nostris superbiores non paterentur verba quibusdam modis accommodata ex alia lingua in linguam converti. Quippe veteres isti Lullium laudaverunt quod, data in verbis gallicis opera, nihil antiquius habuerat, licet Italus, quam ut gallico modo récitativum iis accommodatum pangeret.

Imo necnon in ipsa architectura, cujus formae fere geometricae videntur, remotae reperiuntur cognationes cum exemplaribus natura comparatis. Etenim apud Graecos rationes columnarum quasi signum habebantur diversorum corporis habituum aut sexuum. Nempe doricum genus, partium suarum convenientia, effingebat corpus viri, ionicum vero mulieris corpus, corpori autem puellae corinthium index habebatur. Quinetiam antiqui, cum in talibus usque ad pueriles ineptias descenderent, non omittebant insuper invenire in columnarum ionicarum canaliculis imitationem quamdam vestitus faeminei in sinus multos deflexi, necnon in volutis quibus ornatur columnarum caput, cincinnos ad capillorum exemplar expressos.

Et revera quis affirmare audeat hunc sermonem quo, ut ita dicam, loquuntur formae, colores et soni, in quibus constat inspectionis pulchritudo, non venire ex memoria in nobis renovata affectuum quorum sunt comites apud hominem. Nitor enim vultus, oculorum color, motus corporis, vocis sonus in

eo quosdam animi motus significant. Congruentia autem tam certa quam usu hominum compertam habemus, non potest non excitare cogitationes quas in mentibus sensus movent. Quippe est quaedam disciplina oculorum et aurium qua non erudiuntur ceteri sensus, quare ad informandas artes non valent. Non ita vero fit quia huic incepto natura sint impares. Nam Fenelo noster fingere ausus est quosdam homines in regione commenticia usos esse odoramentorum musica quorum, ut ait ipse, *un certain assemblage les uns plus forts les autres plus doux, fait une harmonie qui chatouille l'odorat, comme nos concerts flattent l'oreille par des sons tantôt graves et tantôt aigus.* Imo in quibusdam generis novi dramatibus, poetae forsan inconsulti sed non insana mente polliceri potuerunt se opera sua spectantibus*), ut quaeque verba recitarentur, daturos ad olficiendum aromata opportune in auditorio diffusa, quae cum affectibus imitatis consentirent.

Itaque inspectionis pulchritudo rationem de pulchritudine imitationis offert eruendam, et jam diximus pulchritudinem in natura non apparere manifestam nisi mentis ope atque opera non diversa ab auxilio quo eadem imitationis pulchritudo obtineatur. Quippe pulchritudo referentiae non a naturali pulchritudine differt. Omnia igitur haec pulchri genera ad idem reducuntur principium, et virtus pulchritudinis in eis nascitur ex eo quod heterogenes ad homogenes reducatur, qua reductione constat, juxta quod jam animadvertimus, imitationis pulchritudo.

Inde multae res magni momenti consequuntur.

Primo pulchrum quo fruimur in quacumque re et quomodocumque fiat, nihil aliud est quam pulchrum adscitum. Omnium enim pulchrorum rationem reddit pulchritudo imitationis. Nec aliter vero imitatio pulchra est quam quod praefinitum quemdam nostrarum animi perceptionum restituit ordinem quo instaurata apparet imago verae pulchritudinis cujus ad intimum non est aditus. Pulchritudo imitationis non est igitur ea in se pulchritudo, cujus tamen virtus causa est cur prima existat.

Secundo pulchrum quo fruimur potest in partes dissolutum intelligi; quippe quod efficiatur vi cujusdam ordinis quem

---

*) In ita dicto Artis Theatro anno 1891.

inducat in rebus exprimendis. Hic autem ordo totus pendet e natura materiarum seu vehiculorum quibus diversae artes rerum imitationem obtineant. Quem ordinem igitur aut saltem ejus formas singulares cognoscere, si des operam his materiis seu vehiculis, tibi sperandum est.

Tertio pulchrum quo fruimur est aliquid abstractum, sed peculiari modo abstractum. Fit enim reducendo heterogenes ad homogenes, infinitum ad finitum, continuum ad non continuum, quales sunt abstrahendi species. Sed animo simul advertendum est pulchritudinem, licet homogeni, finito et non continuo constitutam, nihilominus quaerere et assequi speciem heterogenus, infiniti et continui, quoniam finis ejus et essentia est mendacio simulandi naturam.

In his tribus notis totum continetur quod ad quaestiones propositas respondendum est.

Potestne dari definitio pulchri in se? Quia non usquam fruimur pulchro in se, cujus omnes quibus utimur pulchritudines nihil habent praeterquam adscitas imagines, non in ulla ex rebus quae in nobis puchritudinis excitant sensum ista definitio quaerenda est. Neque quidem e similitudinibus inter eas res factis neque vero e distributionibus quas tentare velles, definitio eadem potest erui. Frustra enim fingere tentares has imagines adscitas aliquid e suo principio secum afferre. Jam diximus illas non nisi quodam ordine admisso constare. Porro qui sperat in isto ordine perspicere naturam rerum quarum tenet vicem, idem facit ac si praesumeret, via qua orbis suam petit asymptoten intelligere quid sit inter duas istas lineas collisio, vel etiam e finitorum numerorum serie, numeri infiniti concipere naturam. Cum vero nulla sit inter finitum pulchritudinis signum et pulchritudinem ipsam congruentia, non aliam per aliud intelligere sperandum est.

Ergo ut veram cognoscamus pulchritudinis naturam, non imitatione rerum nobis utendum est sed rebus ipsis e quibus pulchritudinem assumptam nobis ars proprie tradit, cum omnes leges et consuetudines artis non unquam hunc vivum pulchri fontem exprimere valeant, sed tantum illum captare in altae naturae speluncis.

Natura vero ad quam hic rejicimus non est proprie illa

quae vulgo vocatur hoc nomine, sed ens in se, quod habet, ut dictum est, pulchritudinem sibi propriam. Quare definitio de qua agitur ad metaphysicam entis notionem attinet. Quae quidem notio nos fugit ut compertum est, et talis definitionis investigatio non igitur minus ontologia commenticia est.

Potestne vero aesthetice, deficiente hac definitione, constitui? Sane quia praeter pulchrum in se, ad quod nobis aditus non est, quoddam tamen remanet pulchri genus, quod nihilominus valemus assequi, verisimile est, praedictis non obstantibus, aesthetices non omnem deesse materiam. Deinde ut studio hujus pulchritudinis instituatur scientia, id tantum addendum est, scilicet talibus studenti copiam esse alii luminis ac definitionis pulchri in se, quam sperare non potest. Quoniam vero pulchrum de quo mentio est, nempe pulchrum adscitum atque imitationis (licet e pulchro in se quod est entis proprium cujus nos fugit definitio metaphysice pendeat) adjuvante ordine quem nobis studentibus noscere libet efficitur, inde sequitur hujus ordinis cognitione suppeditare elementa quibus hoc pulchritudinis genus describatur. Quae enim descriptio sic instituta non expostulat pulchri in se definitionem et ideo scientia quae ita constituitur tali definitione non indiget.

Nunc autem quaerendum est quaenam scientiae constitutae juxta responsum his quaestionibus datum, sit provincia et utilitas, cum ad alias res tum ad ipsam philosophiam.

Primo cum talis scientia valde differat ab illa quam per definitionem pulchri in se constituere vellemus, profecto decet aliam ab alia saltem nomine discerni. Nempe illa quidem quam non fieri posse duco, vocari possit *aesthetice realis*; hanc vero quae sicut dixi constituitur *aestheticen specierum* vocare in animo est.

Talis ergo scientia hoc sibi negotium importabit non quidem pulchrum plane definiendi sed imitationis virtutem quae pro nobis illius vices gerit. Haec definitio, ut semel exquisita, erit profecto praecipua scientiae pars, quae in alias res omni modo copiose transferri valebit. Quippe quae efficietur plane in considerandis diversis artis generibus, non in abstracta imitationis notione describenda. Fateor quidem me definiendo eam explicavisse; accommodationem enim mutuam mentis nostrae cum rebus in ordine ad pulchrum percipiendum illam

imitationem esse dixi; talis vero definitio data est ut quasi dux haberetur, non materia investigationum in quas intendimus. Qui vero, facta in partes descriptione, inde conaretur argumenta scientiae concludere, utpote qui necesse esset se impedire comparatione recondita mentis nostrae cum rebus, rediret profecto ad metaphysicum, ut ita dicam, scopulum, quem plane vitare propositum habemus.

Oportet igitur ut aesthetice studio incumbat non certe communi imitationis notioni, qualis ad argumentationis nostrae praedictae commodum explicata est, sed propriis in unaquaque arte legibus imitationis; adde quod in mente imitationis expleat vicem ubicumque sensus pulchri suscitatur. Quippe ei necesse erit summam diligenter facere rerum quas vehicula vocavi seu materiae unicuique arti propriae, deinde modorum quibus haec materia singulariter repugnet recipiendae exemplaris formae, denique rationum quas artifices elegerunt quotidieque eligunt ad has repugnantias vincendas. Tot enim artificia quae pictores, verbi gratia, invenerunt ut in tabulis tertiae demensioni supplerent absenti, non sunt in obscuro habenda. Quinetiam animadvertendum est quomodo prospiciendi regulis utantur, qua diligentia vitent aut requirant quorumdam colorum compositionem, imo qua ratione pigmenta misceant; quae omnia in hujusmodi investigatione perspicere decet. Item in ceteris artibus usus artificum prudens ita proponendus est ut eum attente animus advertat et cum censura perscrutetur.

Verumenimvero in omni imitatione cum vehiculum electum ducat ad discernendam ab exemplari proposito transcriptionem, omni ope atque opera artifex ad eas res assimilandas nititur, nec aliud sectatur quam ut essentialem hanc diversitatem compenset, et accommodatis rebus opus suum quale non sit producat. Ars enim in principio unde abit est mendacium; mendacium quoque in auxiliis quibus utitur, quippe cujus officium sit adeo mentiendi et aliud mendacium alio tam bene corrigendi ut omnes verum percipere censeant. Sed quia mendacium quo aliud mendacium emendat praebet quoque aliquem locum emendationi et ideo tertium postulat mendacium quod probabile non ipsum apparet nisi juvante altero mendacio, talis usus

artis huc tandem redit ad omnes emendationes tam perite temperandas ut ne locum quidem ullum videatur jam corrigendi. Talis ergo hujus disciplinae compositionis fundamenta, ut ita dicam, detegere interest et mente complecti; nam hoc tantum impendio aliquis poterit sperare ut in actu ponat hanc heterogenus ad homogenes reductionem qua imitatio constituitur. Numquam certe quidem sciemus quomodo natura variet et imitetur, nihil vero prohibet quin tandem discamus quomodo artificium imitetur et variet.

Talis sane scientia non minus artificibus quam philosophis prodesset. Praeter id quod, veris imitationis finibus plane perspectis, occurreret erroribus qui quotidie ex incompletis definitionibus vel claudis comparationibus oriuntur, artificum investigationibus ordinem injicere valeret. Licet autem nunquam ei fas sit argumentationem philosophi supponere in locum judicii certi et usus artificum, nihilominus, datis sibi in spectaculum et describendi materiam eorum explorationibus, eos ditare posset e propriis bonis fateor, plerumque eos erudiendo ad utilitatem e suis ipsorum inventis capiendam.

Insuper quoniam imitatio de qua agitur modum abstrahendi specialem et unicum constituit, studium huic imitationi datum habebit unde conferat philosophiae lucem, quam non aliunde sumere potest.

Ars enim sicut ipsa scientia perceptiones nostras ordinat, sed utraque alteram prorsus se habet in hoc ordine. Ut vero clarius explanatio fiat, imaginem floris qualis delineatur in tabulis libri de historia naturali, conferas cum illius imagine quam depingit pictor peritus. Haud sane dubium est quin utraque suo modo plena sit praeceptorum, cum scholasticus perinde ac pictor quoddam veritatis genus exquirat. Sed ea quidem veritas quam scientia intuetur, tantummodo ex parte est, quia sibi proponit doctrinam facere sive ad collocandum florem in generum distributione, sive ad eum colendum, sive ad commoditatem ex eo percipiendam; illa vero quam appetit artifex in totum universa est, quia veritas ab eo non exquiritur nisi in se. Vulgo creditur eruditus veracior pictore, et ipse se putat esse diligentionem veritatis cultorem; quod error est. Revera imago quam pictor efficit naturam ex omnibus

partibus imitatur. Neque enim tenuitas pellucidorum textilium, neque lanuginum simulata suavitas, neque praetiosa subtilium colorum opulentia pictorem praetereunt. E contra imago quam satis habet eruditus crassa est et tota in schemate; quippe cui satis sit ad propositum finem aliquot e re naturali retinere lineas, quarum via redeat ad quamdam disciplinae compositionem, utpote quibus lineis non major datur similitudo quam ut summatim noscitentur. Sic, verbi gratia, procreationis partes, foliorum in corolla numerus, etc. notabuntur ita ut non dignosci non possint, non tamen his signis quae in ipsa re vulgaria lineamenta comitentur et quibus flos verus appareat.

Ceteroquin, etiamsi numerus foliorum in corolla vel partes genitales tantum in tabula quam designavi describuntur, nihil impedit quin textilia, lanugines, etc. describi possint in alia tabula quae, hac vice, his partibus perspiciendis assignabitur. Sed quam remotissime volueris hoc studium extendas licet, attamen, quia praeter lineamenta perspecta quaedam semper omissa manebunt, imagines quibus utitur scientia nunquam rerum similitudinem plane assequentur. E contrario tam jejunae sunt ut res quidem quasi larva ossea repraesentent; in arte vero rerum imagines perfectae vividaeque videntur. Quo sub adspectu pictura nobis ut quoddam perfectum historiae naturalis genus apparet. Nec aliter Leonardus a Vincio eam definit, cum dicit proprium picturae munus esse *con filosofica e sottile speculazione considerare tutte le qualità delle forme, arie e siti, piante, animali, erbe e fiori, le quali son cinte d'ombre e lumi.* Quibus haec addit: *Se la poesia s'astende in filosofia morale, la pittura è in filosofia naturale.*

Ambo enim, pictor et eruditus natura descriptionem faciunt, ambo explicant eam et illustrant, lineamenta quaedam in lucem proferendo quae, non juvantibus illis, non fuissent deprehensa. Sed scientia quidem in medio cursu intercipit explicationem; ars vero eam perficere videtur. Nam dum scientia non res exponuntur nisi truncatae, integram et quasi in totum ars prae se fert explanationem.

Quae differentia ex eo venit quod eruditus quidem per notas ex ordine singulas procedit discriminatim utendo animi attentione; artifex autem uno adspectu multa conspicit et inde

aliquam habilitatem assumit ad res quae eum fugiant. Cur autem suarum abstrahendi rationum sint effectus tam dissimiles, causa est ut illae duobus modis formentur contrariis. Consilio enim expresso eruditus aliquot exemplaris lineamenta omittit, dum artifex dedita opera conatur ad nullum omittendum. Si forte quam profert imitatio exemplar tamen adulterat, non artificis quidem culpa est, sed materiae renitentis quae hanc imitationem quasi vehiculo portat. Itaque scientiae abstractio est affectata, haec autem qua constituitur ars est sponte et sua vi necessaria. Altera quidem ex humana voluntate procedit, altera vero ex aliqua rerum essentia. Prima dici potest artificiosa, secunda contra naturalis, cum non aliunde quam e natura oriatur. Scilicet ex accommodatione materiae natura comparatae ad exemplar natura propositum.

In hoc casu quo natura sibimet ipsi occurrit ingenium humanum ad hoc tantum intervenit ut res proximas reddat et confundat, et quae in hunc finem invenit deverticula diversos distinguunt artifices et genus cuique proprium constituunt. Quae quidem genera nihil aliud sunt quam variae mentiendi artes et pro rebus ipsis, ponendi aliquid plane diversum, auxiliante hac reductione heterogenus ad homogenes, quam definire penes aestheticen qualem mente comprehendo, esse debet.

Sunt igitur duae rationes quibus mens humana, quam rerum summa praeterit, natura potiri per viam abstrahendi queat, quantumcumque possit: via abstrahendi per scientiam et via per artem, alia nempe ab alia prorsus diversa, utpote materiae diverse speculandi et proposita ad non minus diverse concludendum. Porro non infitias imus quin philosophi cum specularentur viam abstrahendi doctrinalem progressi sint ad magnas terras in regione philosophiae propria occupandas. Videre est enim quam multorum problematum proprietates spatii, quoad a geometricis deducuntur, ut semel cognitae nodum expedire valuerint. Si ergo constat alicubi esse signum enti inaccesso vicarium quod sit a materia mathematica alienum, nonne eadem ratione qua ista metaphysicae profuerit, ex illo aliquod simile beneficinm sperari poterit? Geometria cum Cartesium dederit hominum philosophicae speculationi, temerarium sane esset asseverare nihil ex artium studio in futura fore reservatum.

Denique ex his omnibus consequitur aestheticen, cujus modo proposita est formula, in se juncturam esse, duplici natura, aliquid speculativum simul et practicum, quod fateor quidem esse proprium inter alias philosophiae partes artis logicae et moralis. Hactenus forsan merito questum est quod aesthetice majorem quam istae dederit conjecturae locum. Quis tamen dicere possit id importari natura rerum ab aesthetice quaesitarum. Ut logice et ethica, sibi proponit observandas res, quas, juxta primum sensum omni argumentatione validiorem, judicamus ad sua proposita consentaneas, et ex talibus exemplis inter varia comparatis, suae materiae leges et naturam perspicere conatur. Quae scrutatur ethica sunt hominum facta quatenus moralia; argumentationes nostrae sunt quibus dialectica studet. Sed gesta hominum sub respectu quo narrantur et quo solum judicari possunt (at sub respectu saltem recordationis animo loquentis ejus qui fecit ea) semper aliquo modo fugiunt et pro incerto habentur; et pariter quod in oratione argumentum constituit ita eloquentiae vestitu tegitur, ut vix eam magno labore extricare possis. Quare principium utriusque disciplinae semper locum dabit controversiae. Aesthetice in contrario de artis operibus in promptu habet innumerabilem factorum copiam ita definitorum ut ad usum habilia transmitti valeant, quibus tantum principia aptare oportet. Itaque sperari potest hujus commodi beneficio, illam aestheticen futuram esse unam inter firmissimas scientias quae, ex philosophia pendentes, ad philosophiam prosunt perficiendam.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum in Sorbona
a. d. III Kal. Febr. MDCCCC
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi decanus

A. Croiset.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector

Gréard.